



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 35. Alfonsi Rodericii vita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

CAPUT
XXXIV.
Rochi Gonsalvii vitæ
tenor &
virtutes.

Parentes.

Virginitas.

Officia.

*Gonsalvius
septem oppi-
da fundat.*

*Gonsalvii
virtutes.*

ROCHUS Gonsalvius, ut ex authenticis tabulis constat, in Assumptionis urbe nobilibus parentibus ortus, pueritiam pietatis officiis exercuit: adeo in tenera ætate gravis, ut solo aspectu ab levitate coartatos coerceret. Adolescentiam disciplinis sabundè exultam innoxie transegit. Primùm ad aras facienti palmam plebs obtulit in conservata virginitatis symbolum, quam Neomystra ex animi modestia gestare renuit. Jam Sacerdoti duorum oppidorum extra patriam cura demandata est. Patriæ subinde restitutus, popularium suorum Ecclesiæ regendæ admotus, summæ integritatis famam adeptus est: quâ permotus Paraquariæ Episcopus, ei suas vices absens demandavit. Verùm dum se ultro peti ab honoribus videret, quadragenario major Societatem Jesu, ubi sciret integris repagulis aditum dignitatibus esse interdictum, ambivit & obtinuit. Adhuc tyroni Guaicurarorum Provincia obtigit, quam cum majore labore quam successu administrasset, domandis Paranensibus Praefectus est: apud quos conditis Jaguapvano & Itapvano oppidis, ad Urvaicam translatus, barbaram gentem patientiâ ac fortitudine ita domuit, ut apud Ibitiraquanos, Piratinienses, Jaguaraitenses, Japeivientes, Caasapaminenses, livisenses & Caaroenses oppidis fundatis multa millia Ethnicorum ad Christi partes traduxerit. Tandem ob Christi imperium dilatatum, Heroum purpuram adeptus, anno ætatis sexagesimo in cœlesti capitolio triumphum meruit. Vir planè in omni parte vitæ suæ mirabilis, indole placidâ & gravi, ita ut ejus facilitas nihil demeret authoritati, nec innata gravitas ab alloquio mortales absterreteret. In suscipiendis pro Christo laboribus pie temerarius; in ferendis planè ferreus. Non tantum cupediarum, sed etiam necessarii cibi & somni, plusquam decebat perpetuò laborantem abstinens. Orandi studium ardentissimum cum opere externo ita conjunxit, ut alteri dumtaxat, non utrique studuisse videretur. Urvaicensi & Paranensi missioni iteratò & diu præesse jussus, ex emplo potius quam voce moderabatur. Obedientiæ tenax erat, etiam cum dispendio propriæ æstimationis. Altitudinem animi per hæc maximè ostendit, quòd quamvis magnas res pro Dei gloria amplecteretur, nihil tamen atrogans, nihil superbum præferret. Lactea planè fuit Guaraniæ linguæ eloquentiâ: pro suggestu, quando res ferebat, acrimoniam adhibebat. His virtutibus postaritati & Cælo se commendavit Rochus Gonsalvius trium votorum solemniter in Societate professus, cujus infinita amplificandæ Dei gloriæ cupidò, & laborum in satiabilis fames, necnon demissio animi magnitudini par, ita se in omnium opinis nem insinuavit, ut passim ab domesticis externisque Sanctus appellaretur.

CAPUT
XXXV.
Alfonfi Rodericii vita.

Innocentia.

Erga Christum patientem amor.

AT ALFONSUS Rodericius, Zamortæ in Castella honestis progenitoribus natus educatusque, Societati nomen Villagarcia dedit. Non diu post maximè volenti Paraquaria Provincia obvénit. Confecito studiorum cutriculo Guaicuraræ primùm domandis, deinde Paraquariensibus, Ulvaicensibusque ad Fidem & humanitatem convertendis, sedulam operam navavit, donec trigésimo-tertio ætatis anno occumberet. Præter alias animi virtutes sic integritatem coluit, ut, teste Joanne Ferrusino Provinciali, semel acceptam in primo Sacramento innocentia stolam nullius gravis peccati labe infecerit. Christo verò pro nobis passo sic afficiebatur, ut cum ab eodem Ferrusinus percunctaretur, quid esset cur adeo juvenis propè cecutiret? candidè responderit, eam se pari oculorum defectionem ob quotidianas lacrymas, quas sibi Christi patientis meditatio e liceret.

CAPUT
XXXVI.
De Joannis Castillii moribus.

Castitas.

JOANNES Castillius vultu & moribus amabilis, Belmontanâ in urbe Toletani regni, ditibus parentibus, bene ominato Crucis amatoribus die, decima-quarta Septembris, anno millesimo quingentesimo nonagesimo-sexto, natus, Latinas litteras sub Didaco Boroa, postea Paraquariæ Provinciali, in patria didicit. Adolescentis insidiantem pudori muliericulam atrepto fuste fugavit. Alios blandiusculis verbis se appellantes, tanquam pudori noxios, verborum & oris asperitate sæpè arcuit. Compluti philosophiæ dans operam, anno 1614, vigesima-tertia Martii, in Societatem cooptatus est. Martini Religionis tyrocinium notus Eusebio Nierem-

bergio